

# Theologia moralis renovanda

Autor(en): **Kunii, Jordanus**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg**

Band (Jahr): **10 (1963)**

Heft 3

PDF erstellt am: **14.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761531>

## Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JORDANUS KUNIČIĆ OP

# Theologia moralis renovanda

*Animadversiones*

Theologiae moralis saltem aliqualem renovationem hodierna rerum conditio aperte imponit. Quae autem huius necessitatis fons, -qua via in renovationis opere procedendum, – quinam limites servandi et alia id genus multa scrutanda menti imponuntur. Multae quidem dantur responsiones at nec paucae etiam dissensiones. Potiorem autem causam dissensionis invenire putamus in neglectu primarum notionum supremorumque principiorum, quibus assentire cogimur omnes. Ex principiis enim lux effunditur in conclusiones, harum autem certitudo reducitur ad certitudinem principiorum. Principia igitur sunt recolenda, eorum luce conclusiones iudicandae, necnon singuli casus illustrandi. Non dubitamus asserere : communis solutionis via non invenitur, quia respectus ad indubia principia negligitur. Forsan in historia theologiae moralis nunquam tam acute controversiae de theologiae moralis sensu, fontibus, methodo movebantur sicut moventur hodie<sup>1</sup>. Salus igitur datur recurendo ad claritatem et certitudinem primorum principiorum, quae non sunt solum principia rationis, sed adhuc magis fidei.

## 1. Renovatio optanda

Quis est qui non videt physicam, medicinam, psychologiam experimentalem, sociologiam, et in genere omnes scientias sic dictas positivas

<sup>1</sup> « Jamais autant qu'aujourd'hui les controverses sur son sens, ses sources, sa méthode, son essence n'ont atteint une telle extension ni une telle intensité parmi les moralistes ». Ita scripsit B. HÄRING, in relatione scripta alicuius sermonis quem Parisiis tenuit : Renouveler la théologie morale ? Pourquoi ? Vie spirituelle, Supplément 13 (1960) 115-131.

vel scientias « quia », progressus enormes fecisse ? Antiqui nec somniabant quidem, dicamus, de multis quae hodie peraguntur operationibus chirurgicalis. Suntne licitae an non ? A moralistis responsio expectatur. Recolas quam actuosa sit quaestio de transplantatione organorum, de operario-rum cum dominis societatibus, de momento morali mediorum technicae diffusionis, de partu sine dolore etc. Statim videbis quam anachronistice procedunt quotquot casus conscientiae stereotypos e manualibus ca-suisticae saeculorum praeteritorum transcribunt, neglectis casibus, quos hodierna rerum adiuncta fidelibus christianis proponunt.

Hanc, quam memoravimus, externam necessitatem renovationis theologiae moralis appellare possumus. Sed urgenda venit interna ratio ad renovationem theologiae moralis promovendam. Theologia moralis sicut et theologia dogmatica ex iisdem fontibus aquam veritatis haurit : ex Sacra Scriptura et ex Traditione. Porro, critica textualis, studium Sacrae Scripturae necnon studium patristicae multos successus obtinuerunt. Omnino revidendi sunt textus, quos veteres tamquam textus bibli- cos vel patristicos usurpabant. Litterali enim sensui dandus est summus valor, nam solum ex litterali sensu principale argumentum trahi potest. Quod de Sacra Scriptura valet, valet quoque de textibus Patrum.

Confiteri debemus tractationem materiae moralis in usu esse talem, quam « unilateralem » nominare possemus. Multiplex autem in illa aspectus est attendendus. In theologia morali non sufficit considerare Deum ut finem ultimum statice, hoc namque potius ad dogmaticam pertinet, sed consideremus Deum oportet ut normam vivam agendi, vivendi. – Insuper, cum hodie valor humanae personae, contra deper-sonalisationis cuiusque generis conamina, alte extollendus sit, quid magis consentaneum quam singulas theologiae moralis veritates conside-re luce veritatis de homine tamquam imagine Dei, prout ipse suorum operum principium existens et suorum operum potestatem habens ima-ginem Dei tum in seipso continuo evolvat oportet et in omnes species activitatis imprimat ? – Tandem, mentem hodiernam ad vitam, actionem inclinatam reperiendo, quid authentico conceptui theologiae moralis magis consonum quam considerare illam dynamice tamquam « motum rationalis creaturae in Deum » ? – Addas : hic conceptus theologiae moralis optime cum vero conceptu vitae christiana cohaeret, nam Christi vita nostrum exemplum et disciplina est. Christus ipsem et vitam suam quasi classice intellectam illam « circulationem » vel « regirationem » proponit. Dicit namque se a Patre exiisse et venisse in mundum – en aspectus dogmaticus Dei ut principii nostri esse et vivere, nunc autem

relinquere debere mundum et ire, reverti ad Patrem – en aspectus moralis dynamicus. Itaque Sacra Scriptura (Jo 16, 28) ideam ingerit theologiae moralis in maxime vitali ac dynamico sensu reditus ad Deum per dei-formem operationem humanam in actum reducendam.

Vita christiana semper expectatur magis abundans. Theologia moralis docet nos viam, qua ad Deum securius ac celerius reverti possimus. Omnino extraneum esset vitam gratiae, vitam sacramentalem, vitam liturgicam separare a conamine christiani ut vitam Dei esprimere et ad Deum secure ac celeriter reverti possit. Hoc idem est ac dicere theologiam moralem magis quam usquenunc cum dictis mediis ad Deum perveniendi connecti debere. Ad illam ergo, ad theologiam moralem spectat non solum quaestiones quas progressus proponit modernus solvere, sed etiam media quae ascetica et mystica offerunt assumere, ut dictus reditus ad Deum fiat celerior ac securior.

## 2. Progressus theologiae moralis

Statim ac aliqui hunc complexum terminum « progressus theologiae moralis » audiunt, in diversas abeunt vias. Volunt quidam hodie theologiam moralem autonomam ; volunt talem renovationem theologiae moralis, quae esset omnino radicalis, a planta pedis ad verticem capitis ; volunt pariter quidam ad hanc renovationem imparem esse moralem S. Thomae, nam haec viva dici poterat saeculo XIII, non vero hodie<sup>2</sup>.

<sup>2</sup> B. HÄRING, *Das Gesetz Christi*, Fribourg 1954 ; in ed. gallica 1955, vol. I, pag. 2. scribit quidam de autonomia novae theologiae moralis haec verba : « Nous nous trouvons à un moment du développement scientifique où la Théologie morale a droit à son autonomie. Elle l'a acquise légitimement par le jeu d'une différenciation qui est inseparable de tout progrès scientifique. »

B. Häring in citato sermone, respective articulo, exoptat « un profond changement de la morale » (p. 122), unde expectatur « une nouvelle synthèse, une nouvelle vue d'ensemble » (p. 118), immo, assumens verba P. John L. THOMAS SJ dicit nos debere saltem aliquas partes moralis » renouveler de fond en comble » (p. 119).

Verba maxime aspra contra moralem S. Thomae habet canonicus J. LECLERCQ, praesertim in quodam opusculo, cui titulus : *La Philosophie morale de S. Thomas devant la pensée contemporaine*. In hoc opusculo, sed etiam alibi, Leclercq ostendit mancam cognitionem doctrinae S. Thomae. Videas L. GILLON OP : *La morale de S. Thomas en jugement*. Angelicum 33 (1956) 163-171 ; item A. PEROTTO : *Le moderne ideologie morali e l'etica di S. Tommaso*. Divus Thomas 63 (1960) 294-335.

Quid sibi vult haec « autonomia » theologiae moralis ? Relinquitne aliquid de theologia morali, quae usquenunc traditur, haec optata radicalis ac completa renovatio « de fond en comble » ? Non facile est his locutionibus dare proprium sensum ac simul inconcussum principium de immutabilitate dogmatum ac de unitate theologiae salvare. Exagerata autem locutio de theologia quae hodie dicenda est mortua, praecise de theologia S. Thomae, non minus deficientem cognitionem voluminum S. Thomae ostendit quam imprudentis modi loquendi evidens existat signum.

Ne obliviscamur in theologia morali multas extare veritates, quae ut dogmata fidei proponuntur, v. gr. doctrina de fine ultimo humanae vitae, de libertate voluntatatis humanae, de existentia legis moralis naturalis, de merito supernaturali etc. ; equidem radicalem harum veritatum renovationem nequaquam dicti auctores dicendi sunt optare. – Sed extant quoque veritates, quas ut « doctrinam catholicam » eadem moralis proponit, v. gr. quod boni ac mali actus ex natura diversificantur, quod libertas arbitrii sola quoque ratione probari possit etc. ; has pariter doctrinas negare non est possibile quin inter temerarios ipsi negantes adnumerentur. – Plurimae adhuc doctrinae falsae variis notis plectuntur, et ex hac damnatione illis contrariae vel contradictoriae doctrinae ut verae ostenduntur, prout videri potest occasione damnationis variarum doctrinarum Molinos, Jansenii, Fenelon, Quesnel, modernistarum aliorumque non paucorum. – Caeteroquin, moralistarum catholicorum quoad omnes principales theses moralis catholicae concors est opinio. Diversitates scholarum omnino minoris sunt ponderis. Dicamus igitur auspicatam illam completam renovationem vel nihil vel nimis inferre, attentis terminis, quibus dicti auctores sese exprimunt.

Principium recolamus : dogmata fidei vel doctrina Ecclesiae, etiam ordinario Magisterio prolata vel communi doctorum consensu accepta progressum et renovationem pati potest « eodem sensu eademque sententia ». Obsequium semper praestandum verbis Apostoli Joannis : « Vos, quod audistis ab initio in vobis permaneat. Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis » (I Jo 2, 24). Manere autem in Filio et Patre est ipsa vita felicitatis aeternae.

Sed et ulterius recolenda inconcussa principia. Extant namque in theologia morali principia communissima omnibus omnino et semper nota, v. gr. irreductibile principium ordinis practici : bonum est faciendum et malum vitandum. – Adsunt pariter principia in sua generalitate omnibus nota, et hoc iuxta triplicem inclinationem structuralem hominis : quoad

se, quoad proximum et quoad Deum, prout docetur in tractatu de principiis legis moralis naturalis. – Maiori pariter parti hominum notae sunt conclusiones supra dictis principiis coniunctissimae, quales sunt praesertim praecepta « secundae tabulae ». – Tandem non desunt conclusiones quae solis sapientibus notae sunt, at dicimus has sapientibus esse notas et solum non sapientibus non cognitas.

Non negamus etiam illa principia in sua generalitate omnibus nota posse ignorari quoad extensionem ad casus particulares, at de particularibus ut particularibus non datur scientia, haec enim est de universalibus, necessariis ac ultimis rationibus. Unde impossibile est in his principiis intelligere talem progressum et renovationem ut theologia moralis, quatenus scientia, in illis amplius non fundetur. Estne expectanda talis autonomia theologiae moralis, ut amplius ab illis in ratione scientiae non dependeat ? Vel talis, radicalis ac completa renovatio eiusdem expectanda, quae illorum principiorum intrinsecum valorem deneget vel in dubium vertat ? Cum enim illa principia essentias ipsas rerum earumque necessarias relationes exprimant, valorem intrinsecum illis principiis denegare vel in dubium vertere idem est ac theologiam moralem ut scientiam destruere.

Verum est difficile esse progressum in theologia intelligere. Haec tamen difficultas non solum partem moralem, sed etiam dogmaticam premit, nam doctrinam revelatam, sive pertineat ad fidem directe sive pertineat ad mores, Ecclesia catholica » pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur » (Denz. 783). Quae enim credenda proponuntur, illuminant agenda, et quae agenda imponuntur christiano, ab eodem fide quoque tenenda sunt.

Difficultas autem intelligendi progressum in theologia morali exurgit specialis. In illa namque in casibus concretis pervenitur ad illam certitudinem, quae moralis et prudentialis dicitur, quae nec physica est nec metaphysica, sed quae solum « ut in pluribus » veritatem attingit. – Item difficile est in theologia morali verum progressum, inde et rectam renovationem eiusdem concipere, eo quod hodierna mens proclivis est ad particolare, ad id quod existit, ad phaenomenon attendere, unde in relativismum, existentialismum, evolutionismum eadem mens de facili impingit, ex quo fit, ut erroneo modo applicando principia moralia ad eorum mutabilitatem in seipsis falso concludit. – Dicamus adhuc, semper adesse specialem difficultatem intelligendi progressum in theologia morali eo quod homines seipso iustificare volunt, per consequens suis malis actibus per fas vel nefas congrua « principia moralia » invenire procurant.

Non subscribimus sententiae eorum qui praecepta moralia traditionalia proclaimant opprimentia ac terribili modo inefficacia<sup>3</sup>, et talia, quibus christianus nequit resistere systematibus moralibus aliorum, qui non sunt christiani. Recolere debemus doctrinam, iuxta quam adesse dicendi sunt actus qui habent deformitatem ita inseparabiliter annexam ut nulla circumstantia, nulla intentio possit eos proclamare bonos, v. gr. adulterium. Adsunt quidem actus ad bonum vel malum indifferentes, item adsunt actus quos circumstantia bonos efficere possit, quamvis in se aliquam deformitatem vel inordinationem contineant, v. gr. occidere hominem, at haec omnia non arbitrio uniuscuiusque committuntur ita, ut in his iudicandis homo a superioribus normis praescindere possit. Non ipsa principia vel praecepta, quae sunt eorum expressiones, proclamabimus sine valore, sed potius proclamabimus eorum defectuosam cognitionem et applicationem. Ad prudentiam seu sapientiam vitae pertinet decernere quae principia hic et nunc applicanda veniunt. Saepe namque principia illegitima seu falsa ut legitima et vera assumuntur. Saepe pariter «casus non recte exponitur cum omnibus circumstantiis, et conclusio erit arctior vel laxior et in praxi impossibilis». Accidit, insuper, ut «casus cum omnibus circumstantiis apprehenditur, sed ex variis principiis non eligitur illud quod casui correspondet, atque rursus conclusio potest esse impossibilis. Sed istae malae applicationes ne ipsi scientiae morali tribuantur» optime monet P. Merkelbach<sup>4</sup>. Non defectuosa principia nec praecepta, sed defectuosa est hominum et moralistarum cognitio.

Sunt auctores qui quasi abhorrent a «praceptis» sive legis naturalis, sive divinae, sive Ecclesiae, nam nolunt illa concipere tamquam «semel pro semper» formulata. Sed, si talia pracepta essentiam rerum vel essentiales rerum relationes exprimant, aliter fieri nequit, nam numquam mendacium, numquam occisio innocentis, numquam iniusta mercedis retributio potest fieri iusta. Nullo modo talis progressus theologiae moralis desiderandus, iuxta quem theologia moralis «cum universis semper volventibus rebus una volvatur, semper itura, numquam perventura. Quid fiet de numquam immutandis catholicis dogmatibus, quid de fidei unitate et stabilitate», arguit Pius XII<sup>5</sup>. – Quod autem quidam (Stein-

<sup>3</sup> Loquens de sociologia religiosa, quae principia sua doctrinalia desumere debet ex theologia morali, B. Häring loquitur de «l'inefficacité effrayante des simples impératifs moraux traditionnels» in art. cit. p. 119.

<sup>4</sup> B. MERKELBACH OP : Summa Theologiae Moralis, II, num. 82.

<sup>5</sup> PIUS XII : Litterae ad PP. Societatis Iesu, 17. IX 1946, AAS 34 (1942) 96 sq.

büchel) legem abstractam et universalem, praeceptum vero ut vivam et personalem normam agendi intelligent, hoc in nostra quaestione nihil infert, nam Deus directe singulis hominibus praecepta non imponit sicut homo homini imponit : viva nempe voce et directe necnon immediate. – Caeteroquin, tam lex quam praeceptum ab extra proveniunt. Nihilominus dicendum est hanc provenientiam ab extra nihil officere liberae determinationi hominis ab intra, nam, qui voluntarie legi subiicitur, adhuc plus, qui caritate in observandis legibus ducitur, iste vere liber dicendus est, personalitatem suam recto sensu evolvit, actibus suis Deo appropinquat. In legibus voluntas Dei expressa apparet. Legibus subdi est voluntatem Dei sequi. Sine hac sequela felicitatem aeternam consequi impossibile est. Abhorrere leges inutile est, nam illae existunt, et periculose, quia qui vult vitam ingredi, observare debet mandata (Math. 19, 17). Alia via ordinaria non datur.

Talem ergo profectum, talem renovationem theologiae moralis auspicamur, quae eumdem perpetuo retinet sensum dogmatum, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia. A tali sensu nec specie nec nomine altioris intelligentiae recedendum (D. 1800). – Renovationem intelligimus, quae doctrinam morum a probatis auctoribus propositam semper melius intelligit, exponit, explicat, clarificat, applicat, praedicat, sed et iudicat. – Viam nobis doctrina et exemplo monstravit Pius XII, nam nulla fere quaestio theologiae moralis agitatur, quam ille paucis saltem verbis non evolverit. Assunto uno principio deduxit multa, v. gr. ex principio autoconservationis seu ex pracepto « Non occides », illicitum demonstravit suicidium, foeticidium, illicitam euthanasiam, mutilationem, sterilisationem etc. Doctrinam theologorum de actu cum dupli effectu applicavit ad quaestionem de reanimatione, et ex hac applicatione ipsa doctrina theologorum auctoritatem obtinuit. Opera Pii XII vivum exemplum sunt veri progressus theologiae moralis.

Concludamus : Respuimus talem theologiae moralis renovationem, quae illam autonomam vult ita, ut ab aliis doctrinae sacrae disciplinis independens proclametur, cum tota theologia *una* essentialiter existat ; – respuimus talem conceptum progressus theologiae moralis, quae *totam* theologiam moralem traditionalem renovandam dicit, non discernendo quae sunt immutabilia et quae mutabilia, quae principalia et quae secundaria, nam haec distinctio essentialis est et summi momenti ; – item respuimus talem renovationem theologiae moralis, quae a *legibus*, utpote ab externo provenientibus, *abhorret*, nam inter « ab extra » et « ab intra » non datur oppositio, si ab intra eligitur id quod est ab extra ; –

respuimus dictum « S. Thomae moralem esse mortuam », nam, quamvis manifestus sit defectus multarum « Institutionum Moralium » et elucubrationis theologiae moralis « De praceptis », prout alibi scripsimus<sup>6</sup>, tamen scimus, illos, qui a S. Thoma discedunt in re praesertim theologica, eo posse venire, ut ultimo ab Ecclesia desciscant<sup>7</sup>. Aquinatem deserere non sine magno detrimento esse potest. Magis enim aliquid in S. Thoma quam ipse S. Thomas defendendus suscipitur.

### 3. Dignitas scientiae salvanda

Quae est principalis ratio, ob quam renovatio theologiae moralis desideratur ? Qui profundam renovationem moralis expectant, id dicunt facere non solum propter momenta socialia, sed etiam, et potius, ob necessitatem ut maior vis detur vitae gratiae, legi morali quae intra hominem residere debet ibique regnare, ob debitum christiani ut in Christo crescat<sup>8</sup>. Hoc idem est ac dicere necessarium esse ad phaenomena potius mentem dirigere, theologiam moralem ut quid vivum et vivificum repraesentare, existentiae potius quam essentiis pretium augere, « gustum » valorum moralium experiri etc. Centrum vitae tali modo ponitur intra, ac si moralis traditionalis fuisse centrifuga.

Nonne evidens est sensus horum verborum ? De dignitate scientifica theologiae moralis, secundum hos autores, non est curandum. Hoc tamen nos traditioni et rationi contrarium aestimamus. Procul dubio nos non affirmamus solam rationem humanam, absque interventu affectuum, praesertim amoris, veritatem attingere posse, saltem illam veritatem practicam, veritatem vitae. Altiora bona, sive naturalia sive supernaturalia, sicut veritates in genere, potest homo cognoscere ita, ut in animo experiatur affectivam quamdam « connaturalitatem » cum eisdem bonis seu veritatibus. Haec connaturalitas potest esse naturalis, sed potest quoque esse dono gratiae edditata<sup>9</sup>. – Item verum est affectuum disposi-

<sup>6</sup> Cfr. J. KUNIČIĆ OP : Quousque tandem « de praceptis ». *Divus Thomas* 60 (1957) 404-417.

<sup>7</sup> Cfr. collectionem factam a P. I. M. RAMÍREZ OP.: *De auctoritate doctrinali S. Thomae Aquinatis*, *Salmanticae* 1952, p. 48 et passim.

<sup>8</sup> Profundam mutationem theologiae moralis exoptat B. HÄRING « surtout, avec l'intérêt porté à la recherche sociologique en vue de connaître le Kairós, l'accent mis sur la loi de grâce, loi morale intériorisée, loi de vie et loi de croissance en Jésus-Christ ». Cfr. art. cit. p. 122.

<sup>9</sup> PIUS XII in enc. « *Humani Generis* », 12. VIII. 1950 ; cfr. S. THOMAS, *Summa theol.* I, q. 1, art. 6, ad 3 ; idem, II-II, q. 97, art. 2 ad 2 et in locis parallelis.

tionem adiuvare rationem ad certiorem ac firmiorem cognitionem rerum moralium assequendam, at haec vis appetendi ac affectandi non talem vim intuendi habet, ut, sepositis viribus rationis, quid verum sit et amplectendum cognoscere cum certitudine possit.

Modus attingendi valores morales, sive pertineat ad habitum virtutum moralium, per quem connaturaliter attinguntur valores morales de quibus iudicatur, sive pertineat ad sapientiam, quae donum Spiritus Sancti ponitur, ad ordinem potius subiectivum restringitur. Quisque namque talem connaturalitatem experitur in seipso, sentit in seipso, et, si de supernaturali connaturalitate sermo fit, Spiritus Sanctus unanimaque animam modo ipsi correspondente dicit illique loquitur, huic utendo affectibus, huic cognitione, hanc vocans per tribulationes, illam per beneficia et ita porro. Agitur ergo de iudicio « per modum inclinationis », non proprie per modum cognitionis<sup>10</sup>, ideoque in tali campo non possumus proprie loqui de theologia morali ut scientia.

Theologiam moralem appellamus scientiam, quia illa suas conclusiones ad causas altissimas reducit. Hae ultimae causae sunt principia, clare visa a Deo et beatis, a nobis vero per fidem accepta. Illam tractamus ut scientiam, iudicando de conclusionibus in luce principiorum. Licet principia per revelationem habeantur, nihilominus studium seu labor requiritur ut conclusiones e principiis educantur et ad illa reducantur. Sed quodnam est precise fundamentum super quod exstruitur theologia moralis ut scientia? Ratio humana multas ac diversas eius partes in unum colligit, suis locis convenienter disponit, in mutuam harmoniam cohaerentes veritates unit, earum magis lucidam intelligentiam acquirit, illas tuetur, oppugnantibus resistit.

Ultimum fundamentum, super quod fundatur theologia moralis ut scientia, non est idea « responsabilitatis », sicut vellent quidam moderni theologi, nam responsabilitas est proprietas personae agentis, supponens in subiecto obligationem seu legem eiusque ulterius fundamentum. Quaerenda est ultima ratio legis, altissima causa obligationis. – Nec ultimum fundamentum theologie moralis ut scientiae poni potest in « responso » quod homo dare debet Deo, et quod Deus ab homine expectat, quia est metaphorica locutio, Deus autem publice locutus est, revelatio terminum habuit, et modus quo quisque Deo respondet ad hominem individuum pertinet, subiectivum campum respicit primo et per se. De individuis non datur scientia nec sapientia. – Item, theologiam moralem

<sup>10</sup> S. THOMAS : II-II, q. 45, a. 2 et in locis citatis in nota praecedenti.

non possumus ut scientiam fundare super « gustum » vivum et vivificum, quem aliquis ad valores morales et spirituales experitur, nam hic « gustus » ad inclinationem, ad « Erlebnis » pertinere potest, non autem ad cognitionem intellectualem scientificam et obiectivam, quae principii instar pro omnibus valere debet. – Fundamentum theologiae moralis ut scientiae nequit constituere « imitatio Christi », quia ipsa haec imitatio ad altiores causas seu rationes reduci debet, cum ipse Christus de se dicat se venisse in hunc mundum ut adimpleret voluntatem Patris (Jo. 6, 38). Voluntatem Patris exequi est quasi ipsa ratio existentiae Christi (Haebr. 10, 7). Evidens est talem imitationem debere iustificari, nam scire oportet, quam ob causam et in quem modum talem imitationem in actum reducere. Nulla persona individua et creata, nequidem Christus, cum in natura humana visibili limitibus loci, spatii et temporis circumscripta appareat, dare potest ultimam rationem, quae illi caracterem scientiae universalis dare potest. Hanc ideam exposuimus alibi<sup>11</sup>.

Analysi scientifica pervenimus ad asserendam essentialem differentiam inter bonos et malos actus. Haec differentia semper valitura est, eamque nonnisi « horror essentiarum » vel relativismus moralis negare potest. Existit iam doctrina catholica, quae docet in natura hominis, considerata in seipsa, considerata in relatione necessaria ad Deum et ad proximum, independenter a nostra consideratione mentis, essentiale discrimen inter bonum et malum morale inveniri<sup>12</sup>. Existit igitur obiectivum fundamentum discernendi valores boni et mali. Hae relationes essentiales praebent fundamentum theologiae moralis ut scientiae, nam sunt expressiones ipsius essentiae, sunt leges essendi ita, ut actio humana tali relationi non conveniens vel illam destruens (odium Dei, suicidium, furtum etc.) mala, illi autem conveniens bona dicenda sit. Malus ex se erit actus qui dependentiam hominis ad Deum negat, malus qui hominem ipsum vita privat, malus qui naturae hominis sociali contradicit. Sicut non mutatur essentia hominis, ita non mutatur scientia hanc naturam exprimens.

« Idea-mater » theologiae ut scientiae transcendere debet vitam et actionem moralem tamquam phaenomenon, ad naturam vel essentiam ascendere debet. Non sufficit dicere talem « ideam-matrem » esse religionem, nec responsum hominis dandum, nec responsabilitatem hominis, sicut diximus supra, quia haec omnia particularia sunt, incerta, mutabilia,

<sup>11</sup> J. KUNIČIĆ OP : La morale personalistica. Sacra Doctrina (Bologna) 14 (1959) 157-184.

<sup>12</sup> S. THOMAS: C. Gentes III, cap. 129 ; in Eth. Nicom., num. 33, 245-254 (ed. Pirotta).

ad altiores rationes reducabilia, unam vel aliquas relationes exprimentia, vel melius : unam vel aliquas partes harum relationum.

Dicamus potius cum Pio XII : « Hominis ad finem suum ultimum, qui Deus, ordinatio ac directio lege absoluta et necessaria, in Dei ipsius natura et infinita perfectione fundata, ita firmatur, ut ne Deus quidem quemquam ab ea possit eximere »<sup>13</sup>. Sive ergo homo non christanus observando praecepta legis naturalis, sive christianus adhibendo insuper media supernaturalia, quisque in omnibus suis actibus ordinari debet ac dirigi ad Deum possidendum, et haec ordinatio fundamentum debiti et obligationis haurit in infinita perfectione Dei, nam nullus nisi Deus hominem complete beatum facere potest, cum solus Deus in se copiam omnium bonorum possideat. Naturae divinae perfectio – en ultimum criterium boni et mali, en finis qui movere hominem ac dirigere in actibus debet, en ratio ultima fundans theologiam moralem ut scientiam. Haec natura divina, quasi in reflexu, in natura humana eiusque necessariis relationibus elucet. Vera altissima ratio discernendi bonum et malum !

Obligationes fundamentales legis moralis, dicit Pius XII, fundantur in essentia, in natura hominis, in eius relationibus essentialibus et valorem suum retinent ubicumque inveniatur homo. Nec fundamentum moralis christiana alibi invenitur quam in essentia et quidem in essentia ordinis supernaturalis, quem Divinus Redemptor instituit. Nec existit aliquod subterfugium, sed simpliciter dicendum est talibus legibus vel praeceptis, quae relationes has exprimunt, debere subdi<sup>14</sup>. Ante ortum religionis christiana, sicut nunc tempore christianismi, praecepta moralia fundamentum suum habent in hac cognitione veritatum essentialium earumque relationum. Non aliter argumentatur ipsem S. Paulus (Rom. 1, 19-21).

Haec verba Pii XII optimum commentarium constituunt verborum S. Thomae. Essentiae rerum earumque necessariae relationes sunt participationes divinae essentiae, reflexus summi ordinis, unde actus humanus bonus, adhuc magis actus supernaturalis christiani, ordinem divinum exprimit, et aliquo modo « formam Deitatis » in mundo ostendit et explicat. Actio humana bona, supernaturalis et meritoria, transcendet ordinem creatum, aliquo modo ad Deitatem attingit, infinitatis fit participes, sicut Deus infinitus est, nec ad altiorem rationem mens humana

<sup>13</sup> PIUS XII : « Musicae Sacrae », die 25. XII. 1955.

<sup>14</sup> PIUS XII in Allocutione die 18. IV. 1952. AAS 44 (1952) 413-419.

ascendere valet. Nec necessarium est ad altiorem rationem ascendere. Participatio essentiae divinae in essentiis rerum earumque necessaris relationibus, quae per legem naturalem manifestatur, fundamentum solidum et obiectivum ordinis moralis sive naturalis sive supernaturalis constituit, sicut audivimus a Pio XII.

Qui igitur theologiam moralem renovare volunt, et huius renovationis alia quam supra dicta criteria assignant, quoad prima principia non recte procedere videntur, et error quoad principia de se irreparabilis est. Renovatio quae non aedificat theologiam moralem, ut scientiam, supra essentias rerum, super labile fundamentum aedificat, et tale aedificium nec in se stare nec oppugnationibus resistere valet, sed talis theologia moralis cum mutabili rerum cursu et opinionum fluctibus ipsa pariter mutabilitatis eorum socia evadit.

#### 4. Moralis vere systematica

Non desunt hac nostra aetate eloquentia documenta fortis ingenii, vastae eruditionis, amplissimae scientiae, minutissimae capacitatis analyticae, sed hodie valde optatur sensus syntheseos. Hodie scientiae positivae ducatum praestant civilisationi vel humanitati, sed quis est qui non videt signa particularismi, quo fit ut scita tamquam micae hic inde sparsae appareant defectu superioris unitatis ac syntheseos? Superior synthesis, superior ordo, ideae architectonicae, progressus a primis ac supremis principiis ad particulares conclusiones, reductio conclusionum ad altissimas rationes etc. – haec sunt quae aetati nostrae desunt<sup>15</sup>. Observamus, proh dolor, ideas et valores particulares primatum tenere supra ideas et valores universales, obiectivum cedere locum subiectivo, scientiam tractari ac si esset intuitio vel experimentum etc.

Omnis scientia et omnis doctrina ius et officium habent faciendi synthesim totius sui obiecti scibilis. Nihil mirum si idem et theologia moralis desiderat. Synthesis theologiae moralis, facta a S. Thoma, aliquibus modernis minus placet. Desiderant novam synthesim, magis profundam, magis cohaerentem<sup>16</sup>. Simul ergo desiderant quasi nova funda-

<sup>15</sup> PIUS XII in Allocutione die 21. XI. 1946. Textus videri potest etiam in : Actes Pontificalux (I. S. P.), num. 23, p. 3 ; cfr. M. CLEMENT : L'Economie sociale selon Pie XII, Paris 1953, vol. I, p. 87.

<sup>16</sup> B. HÄRING, art. cit. p. 118 sq.

menta et novam formam externam. Haec tamen maxime sunt distinguenda, nam synthesis fit per universalia et necessaria, praesentatio vel tractatio potest et debet variari, sicut et Christus nova veteribus coniunxit, ac notis rebus, ex vita et ex natura, novum contentum tribuit, prout in Evangelio legimus (Math. 13, 52). Dicemusne igitur S. Thomae synthesis esse sine fundamento ? Debemusne putare S. Thomam, hoc « clarum Dei organum ... praecipue in moralibus » sicut a coetaneis appellatus fuit, vocem amisisse ? Estne vox eius dicenda mortua ?

In scientiis naturalibus distinguimus classes, ordines, familias, genera, species, individua etc. Similiter in theologia morali, sicut in aliquo organismo spirituali, ab una universalis, superiori idea, tamquam a capite, oportet descendamus ad inferiores ideas, ad minus universales. Sequimur namque processum deductivum. Singulae quaestiones in theologia morali locum suum obtinebunt secundum maiorem vel minorem propinquitatem ad ideam supremam tamquam ad caput. Conclusiones autem inter se ordinem et gradum obtinebunt secundum maiorem vel minorem extensionem, foecunditatem, semper tamen ita, ut vere coaptatae, colligatae in unum appareant. Nequaquam talis theologia moralis erit collectio legum vel praceptorum, multo minus similis erit catalogo peccatorum, sed similis erit organismo vivo et vivifico et semper prout vera scientia exigit. Id quod Leo XIII de tota theologia dixerat, hoc valet et de parte eius morali, nempe rationem in theologia necessariam esse ut theologia « naturam, habitum, ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multae ac diversae caelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur »<sup>17</sup>.

Redigere theologiam moralem in sistema significat ordinem ponere in ipsa theologia morali. Ordo autem sine respectu ad aliquod primum seu ad aliquod principium non datur. Quis autem audet unitatem totius verbi revelati efficere nisi solus Deus ? Hinc, dum mens humana debilitatem suam confitetur, concedere eadem mens debet admirabilem synthesis esse factam, synthesis quam ipsem S. Thomas perfecit et de qua synthesis etiam hodie auctores magnae notae digni proclamant esse omnium optimam<sup>18</sup>. Quae enim melior usquenunc inventa ?

<sup>17</sup> LEO XIII in enc. « Aeterni Patris », die 4. VIII. 1879.

<sup>18</sup> O. LOTTIN : Eph. theol. Lovanienses 35 (1959) 411.

Idea architectonica in synthesi S. Thomae pro tota theologia morali omnibus nota est, est enim idea « reditus » ad Deum, finem ultimum humanae vitae. Reditus iste includit motum seu activitatem quae tendit ad assecutionem felicitatis aeternae, quae in Deo est, ut ita Deus, vitae existens principium, eiusdem sit etiam finis et corona. Tali modo realisatur « regiratio » seu reditus in eumdem terminum. In hoc sublimi negotio christiano praesto sunt media supernaturalia, quibus cooperando spe ducitur talem finem obtenturum. Nonne haec dicenda vere idea maxime universalis ? Quidquid ad humanum agere pertinet, hac idea suprema ordinari potest et debet, et sine hac idea aedificare synthesim theologiae moralis idem est ac corpus humanum plasmare sine capite. Ordo in actionibus humanis, et quidem tum ordo actionum inter se tum ad finem ultimum, ordo inquam primo supernaturalis – en suprema ratio syntheseos moralis S. Thomae, nam tali ordine homo in se imaginem Dei exprimit, Deo similis evadit, in virtute creativa et gubernativa Dei cooperatur.

Moderni quidam dicunt, hanc ideam « reditus » esse ideam graecae originis vel neoplatonicam, non authentice christianam, ideoque non amplectendam ut criterium systematicae praesentationis theologiae moralis. Et addunt aliqui, vgr. Leclercq, magis superficialiter quam ingeniose, flumen quidem e fonte exire, non tamen in fontem redire, ergo ideam S. Thomae esse defectuosam.

Responderi possunt multa : a) sapiens verum a quocumque proveniat libenter et grato animo accipit ; b) parum refert utrum idea sit graeca vel neoplatonica, pagana vel christiana, illa praebet nobis mirabilem fontem intelligendi mysteria vitae et activitatis humanae, immo omnium entium, nam luce huius ideae supremae et dynamicae omnia iudicantur, quae homo et christianus agere vel facere, in occulto vel in publico, individualiter vel socialiter, accingitur ; c) addit optime P. Chenu, ideam hanc reditus ad Deum<sup>19</sup> respondere Scripturae Sacrae, nam in prima pagina historiae sacrae exitus rerum a Deo earumque ad eum reditus proponitur ; d) addamus ulterius hanc ideam esse authentice christianam, nam ipse Christus de se dicit : « Exivi a Patre et veni in mundum : iterum relinquo mundum et vado ad Patrem » (Jo. 16, 28), ergo vita eius fuit vere quaedam « regiratio », verus « reditus », quod et de christiano valet, cum et christianus a Deo exierit et denuo, Christo adiuvante, ad Deum redire debeat ; e) non ergo haec idea « reditus » est idea commoda vel aliena,

<sup>19</sup> M. D. CHENU OP : Introduction à l'étude de S. Thomas d'Aquin, Paris 1950, p. 260.

sed idea efficax, ordinem imponens, in ordinem omnes activitates reducens, ad ultimum ordinem conducens ; f) haec idea ad ipsam scientiam Dei conductit, ad rationes aeternas, quas exprimit et quibus hominis activitatem conformare procurat, sicut et ipsa Incarnatio ultimam rationem habet bonitatem seu perfectionem divinam, per consequens haec ratio theologiae moralis non solum dignitatem scientiae, sed et sapientiae tribuit ; g) dicamus flumen non reverti ad eumdem numerice fontem, at quis est qui non videt flumen regi legibus determinatis, physicis, dum homo redire debet ad Deum ut ens liberum, velut suorum actuum dominus, ut iisdem actibus vitam aeternam mereatur et in actione creativa et transformativa mundi Deo cooperetur. Homo enim actibus suis meritoris transcendent limites spatii et temporis et caelum ipsum aperit, valorem aeternum actibus suis tribuit. Comparare hominis activitatem fluxui fluminis significat punctum saliens comparationis non attingere, nam non flumen, sed homo praeditus est potenti virtute, ut revertatur tamquam vitor ad Deum et ab Eo coronam accipiat pro voluntario, libero ac meritorio reditu ad Deum.

Nec hodie desunt qui « ideam-matrem » totius theologiae moralis in conceptu huius ordinis reponant. Ordinem ponere in actionibus, ordinem qui rationi et fidei correspondet, ordinem qui notis meriti ornatus hominem quasi deiformem in activitate sua reddit – en idea quae omnes alios conceptus, omnes alias « ideas-matres » a modernis propositas miro modo unit et transcendent<sup>20</sup>.

### 5. Theologia moralis dialogalis

Haec est illa optata synthesis aliquorum auctorum modernorum quae synthesi S. Thomae succedere debet. Suprema idea theologiae moralis est idea « vocatio-responsio », nam Deus vocat et homo respondere debet. Triumphalis igitur inventio, quae umbram sternit supra synthesim S. Thomae, quae idea « redditus ad Deum » ducebatur.

Factum omnibus obvium non negamus : homini naturale est et iucundum metaphoris uti. Naturale est homini ut per sensibilia ad intelligibilia ascendat, et, ut in intelligibilium meditatione, sensibilibus signis utatur. Pueri et poetae ad hoc ius quoddam quasi habere videntur.

In scientifica vero tractatione ad legitimum terminorum sensum et usum attendere debemus. Metaphorica locutio est occulta locutio. Ex

<sup>20</sup> E. LIO OFM : *Divinitas* 3 (1959) 729-757.

sensu allegorico sequi potest aequivocatio, solus autem sensus litteralis est talis, ut illi fides detur, et ut solum ex illo trahatur argumentum, omnesque alii sensus super illum fundentur. Quapropter nihil mirum si in Logica doceamur cavendum ab omni terminorum ambiguitate. Docemur, inter alia, ut termini adhibeantur in sensu proprio et fixo : « proprio », dicimus, non metaphorico, nam oratores et poetae uti possunt tropica et figurata locutione, philosophos autem decet terminis pressis uti, quod et omnibus doctis competere dicendum est, et honori tribuendum talis modus agendi ; « fixo », dicimus, id est in sensu preciso et determinato, ut hoc non alio sensu intelligi possint quae dicuntur vel scribuntur.

Ad quaestionem nunc nostram gressum facientes dicimus : frustra apud istos auctores quaeres colloquium duorum seu discursum inter duos, quem sensum communiter damus termino « dialogus », nam etiam quando solum « pro forma » adhibetur forma dialogalis (sicut v. gr. in libro *De Imitatione Christi* inter servum et Dominum), ex natura responsionis reperire potes utrum servus an Dominus loquatur. Noli ergo mirari, lector, si legis quidem titulum « Dialogue de l'homme et de Dieu », quem scripsit J. Leclercq, tamen neminem nisi ipsum scriptorem loquentem leges, immo ipse auctor tibi statim dicit librum esse fructum eius personalem et talem librum referre individuales conceptus auctoris. Cur igitur utitur auctor termino « dialogue » ? Terminus talis adhibetur, ut significet internum, profundum « Erlebnis », nam vitam vere plenam hominis, dicit auctor, intelligere non possumus nisi vita dialogum cum Deo instituat, sicut et dialogum cum proximo. Dialogus cum Deo est in profundo nostri esse ; dialogus cum hominibus est in superficie<sup>21</sup>.

Neminem latet origo Scheleriana huius conceptus. Dicendum videtur non omnem plantam in omni terra cum fructu crescere posse. In phaenomenologismo primatus datur emotionibus, intuitioni intellectivae, amori, tendentiae internae, perceptioni experimentalis ipsius subjecti, locutioni cum Deo etc. Quam facile sit ex ipsis ideis ad existentialismum, situationismum, subjectivismum transire, quisquis videre potest dummodo legat aliquas Allocutiones Pii XII de situationismo<sup>22</sup>.

Sufficiat videre aliquas applicationes theologiae moralis dialogalis, ut persuasi maneamus, quomodo in hac theologia universale et obiectivum transferatur ad particulare et subjectivum. Quaeris v. gr. ab illis notionem vel essentiam virtutis fidei. Non respondebunt tibi illam esse

<sup>21</sup> J. LECLERCQ : *Dialogue de l'homme et de Dieu*, Paris 1955, p. 90.

<sup>22</sup> PIUS XII praesertim in Radio-nuntio die 23. III. 1952, et in Allocutione iam citata, die 18. IV. 1952.

virtutem, cuius obiectum seu materia quoad nos est aliqua propositio enuntiabilis, proponens nobis doctrinam credendam, sed fidem tibi primario reprezentabunt tamquam personalem contactum hominis cum Deo in Christo et in Ecclesia. Quaeso ut haec verba inspicias et fere eadem apparebunt tibi verba quibus Pius XII abiicit situationismum, pro quo fides est « le rapport personnel qui nous lie à Dieu »<sup>23</sup>, et qui negotia conscientiae solvit inter « le je de l'homme et le je du Dieu personnel », ergo in campo subiectivo.

Tamen theologia moralis dialogalis secundum hos innovatores dicitur viva et vivificans. Undenam illi haec vis vitalis ac efficax ? Non certo ex ipso titulo seu ex ipsis terminis « dialogalis-responsorialis », nam certe haec signa non efficiunt id quod significant, quasi haberent virtutem ex opere operato. Utrum idea vel valor moralis pro hoc vel illo homine fient vere vitales ac vivifici, hoc dependet ab unoquoque prout gratiae Dei cooperatur. Hoc tamen verum assumebatur in theologia quoque traditionali. Quid vere novi attulerunt isti innovatores ? Antiquos terminos adhibuerunt et quidem magis arbitrario modo quam felici. Et curiosum sane hos innovatores velle eorum theologiam moralem esse autonomam. A quo emancipata est ? Forsan emancipata, sicut ramus abscissus emancipatur a truncu ...

Humilis cum Deo non loquitur, sed exemplo illius servi Dei dicit se loqui nescire (Jer. 1, 6) et libenter repetit illud : « Audit servus tuus » (I Reg. 3,9-10). Nonne moralis dialogalis tandem ducit ad hoc, ut fideles omnes, primo in loco moralistae « videantur non theodidacti seu theologi, sed potius theophantes » (Denz. 442) ? Quae Deus animae in secreto cordis dicit ad illam pertinent, illam obligant, at talis locutio pertinet ad unctionem internam, et hanc unctionem fideles receperunt et recipiunt, forma vero scientifica extra haec negotia interna invenitur (I Jo. 2, 26-28). Qui theologiam moralem essentialiter ad hoc forum internum reducunt, quamvis principia universalia et obiectiva non omnino negent, talis doctrina tamen haec principia, sicut et situationismus, pellit e centro ad peripheriam, ergo dat illis locum omnino secundarium<sup>24</sup>. Vere difficile est videre quomodo in hac personali experientia et illuminatione theologia moralis posset formulare doctrinam de colloquio inter animam et Deum, cum agatur de consiliis, permissionibus, de actibus ex obiecto indifferentibus, de donis supernaturalibus et ita porro. Recte Pius XII

<sup>23</sup> Pius XII : Allocutio citata in ultima nota.

<sup>24</sup> Idem : ibid.

in encyclica « *Humani generis* » laudat philosophiam perennem, quae est philosophia immutabilium essentiarum et fixorum terminorum fundamentalium, dum hodierna mens, quae increpatione digna est, ad existentiam solum spectare intendit et mentem ad vitam semper fluentem dirigit, ut cum mutabilitate rerum et ipsa continuo mutetur, quasi mutabilitatem ut unicum finem p[re]a se habeat. Facile enim verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignit opinionem (D. 1658). Despectus terminorum, quibus theologia traditionalis utitur, ipsam theologiam enervare videtur. Theologiam traditionalem autem enervare significat ipsi auctoritati Ecclesiae insidiari.

Unum ex punctis doctrinalibus, ad quod dialogistae insistunt, est praecise iste immediatus contactus hominis cum Deo. Nonne forsan melius esset ut de theologia morali trialogali loquantur ? Homini namque, praeter relationem essentialem cum Deo et cum seipso, tertia quoque relatio competit, relatio nempe cum proximo. In societate homo invenit complementum essentiale suiipsius. Homo ratione lucente et affectu impellente societatem init. Si igitur volunt hominem integraliter concipere, loqui deberent de morali trialogali, cum homo solivagam vitam dicens generaliter non detur<sup>25</sup>. Haec relatio ad societatem fundat necessitatem humanarum legum. Vera moralis leges et praecepta non abhorret, sed cum S. Thoma docet qua ratione caritas facit, ut homo supra legem elevetur, ut ex seipso sponte faciat quod lex praecepit, ut non lege externa, sed prius caritate inclinetur ad iustitiam faciendam etiam sine lege<sup>26</sup>.

Super hac triplici relatione essentiali hominis aliqui theologi extruxerunt systema theologiae moralis in tres partes divisum : officia erga Deum, erga seipsum et erga proximum. Ita v. gr. Otto Schilling. Dum tamen B. Häring hanc divisionem traditionalem appellat « banale », acuta mens Cajetani, saltem pro divisione theologiae moralis specialis, illam ut maxime practicam et maxime philosophicam habet. Certe, idea « officium » non est idea suprema, quae fundamenti instar aedificium theologiae moralis ut scientiae portare posset, at concedendum est talem divisionem habere posse valorem practicum. Prudenter concludit P. Sertillanges OP, standum esse divisioni S. Thomae per vitutes, nam melior est fidelitas traditioni, quam commoditas valoris omnino dubiosi<sup>27</sup>.

<sup>25</sup> S. THOMAS : I-II, q. 72, a. 4.

<sup>26</sup> Idem : C. Gentes III, cap. 128.

<sup>27</sup> D. SERTILLANGES OP : La Philosophie morale de S. Thomas d'Aquin, Paris 1946, p. 157, nota 2.

## 6. Moralis dialogalis-afinalistica

B. Häring, qui tractatum de fine ultimo in sua noviter proposita synthesis morali simpliciter omisit, rationes varias sui modi agendi adducere conatus est. Dicit itaque se hoc fecisse, ut maiorem dynamismum suae tractationi infunderet. Hunc dynamismum non infundit illa traditionalis theologia moralis, dicit B. Häring, quae ideis obligationis, praemii vel meriti ducebatur. Tractatus de fine ultimo, iuxta mentem B. Häring, ad moralem staticam pertinet, dum moralis gratiae, prout «suam» moralem appellat, est moralis vitae internae et intensae. Amor perfectionis et impulsus gratiae magis movent quam beatitudo et quidem modo aristotelico intellecta<sup>28</sup>. Caeteroquin, prosequitur idem B. Häring, virtus spei ac vita sacramentorum finem ultimum nobis semper praesentem reddunt.

Vix possibile est his rationibus notam serietatis tribuere. Lex structuralis ipsius animae humanae haec est, ut non nisi a bono seu fine moveri incipiat, unde si non esset etiam ultimum bonum seu ultimus finis, «nihil appeteretur, nec aliqua actio terminaret, nec etiam quiesceret intentio agentis», ut compendiose dicit S. Thomas<sup>29</sup>. Finem ultimum veluti supremum valorem pree oculis non habere idem est ac radicem dynamismi vitae evellere seu extirpare. Nec usus gratiae, nec usus sacramentorum, nec realisatio virtutis spei eveniret nisi beatitudo caelstis hominem attraheret. Omnia namque media, quibus homo in sua activitate terrestri adiuvatur, perficitur, elevatur, tendunt ad hoc, ut finem vitae aeternae consequi valeat. «Propter quod unumquodque et illud magis» – ergo nulla activitas, nulla scientia activitatis humanae carere potest prima ac fundamentali notione, quae est notio ultimi finis. Si christianus ut talis incipit agere, perseverat in vita et operatione ut christianus, et tandem terminum ponit suae activitati, haec omnia proveniunt ex causalitate finalizandi, quae a beatitudine aeterna provenit. Si gratia est principium dynamicum, hoc illi provenire potest ex caritate, nam gratia ex se est qualitas supernaturalis pertinens ad ordinem essendi, caritas vero est vis, virtus, et caritas tendit in finem, coniungit fini, secumfert dynamismum praecise ob vim finalizandi, quae ex Deo, bono in se, provenit.

Veritas primorum principiorum fert hominem debere finem prius cognoscere et tunc actiones in finem dirigere. Haec veritas pertinet ad

<sup>28</sup> B. HÄRING, art. cit. p. 124.

<sup>29</sup> S. THOMAS : I-II, q. 1, a. 4.

seriem veritatum, quae non demonstrari, sed enuntiari indigent. Sola earum enuntiatio facit videre convenientiam inter Subiectum et Praedicatum. Vere curiositatem excitat, vehementer desidereremus videre tractationem quae de fine ultimo esset « toute nouvelle, biblique et communautaire », ac si usquenunc nullus, nullibi conformiter revelationi hac de re scripserit. Habis vgr. *Initiation théologique*, quae in vol. III offert partem moralem et, prout patet, incipit a tractatu de beatitudine. Forsan tamen non alienum esset quaestionem ponere : cur in dicto tractatu non fuit evoluta doctrina, quae harmoniam inter doctrinam revelationis et rationem, sicut et moralem traditionalem, ostenderet ? Cur doctrinam fontium non inserere in ipsum corpus expositionis, sed separatim, ac si agatur de contrariis vel contradictoriis fontibus ? Quae idea Scripturae magis conformis quam idea humanae vitae ut itineris vel redditus ad Deum ? Quid igitur sibi vult haec « forme toute nouvelle » ? Forsan promittit essentialem mutationem obiecti ? Certe novum obiectum finalizans non expectatur, unde si talis locutio solum externam formam tractationis promittit, hoc minoris momenti est.

Dicamus adhuc : tractatus de fine ultimo dat rationem actus moralis, rationem usus gratiae, usus sacramentorum, imitationis Christi, sed insuper necessarius est ad solvendas multas hodiernas quaestiones, v. gr. quaestionem de conceptu personalismi christiani, quaestionem de valoribus etc. Si, insuper, conceptus meriti et praemii cum eodem conceptu finis ultimi coniungitur, hoc nec dynamismo nec dignitati finis ultimi officit, non enim indecorum est, sed est dogma fidei ab omnibus amplectendum hominem vere mereri posse vitam aeternam ipsiusque vitae aeternae in gloria augmentum (Denz. 842). Omissio tractatus de fine ultimo vitae nulla valida ratione iustificari potest. Et bene notandum est talem tractationem debere esse sub aspectu morali, id est, in morali beatitudo debet proponi ut assequenda, ut distinguatur talis tractatio a tractatione dogmatica, in qua tractatus de beatitudine pertinet ad « novissima » ut veritas credenda.

### 7. Moralis restricta

Theologiam morale aliqui innovare cupiunt ita, ut illam totaliter informatam religione concipient illamque essentialiter in imitatione Christi consistere dicant, immo volunt illam induere ipsam formam religionis christiana, et religio tunc nihil aliud esset quam « Deus et homo invicem colloquentes », prout dicit B. Häring. Non amplius, secundum

hos autores, religio proprie sumpta definitur per suum obiectum, quod est cultus Dei, sed theologi et fideles oportet sint « theophantes ». Nec moralis christiana est theocentrica, sed christocentrica. Est moralis personalistica. Cum audis « imitatio Christi », intelligas hoc includere ut christianus in Christo existat et vivat.

Cum iam de hoc aspectu auspicatae renovationis theologiae moralis alibi scripserimus<sup>30</sup>, addemus pauca. Primo quidem audiamus Pium XII, qui non restringit, sed extendit, non separat, sed communem reddit basim theologiae moralis ita, ut basis totius humanitatis, totius humanae naturae appellari possit. Isolationismus christianismi in moralibus nec videtur scientifice fundatus nec apologetice commendabilis. Per se patet talem modum renovandi theologiam moralem illam exuere dignitate scientiae et valorem eius transferre ad experientiam vel ad negotium subiectivum. Documenta vero Magisterii Ecclesiae illam habent ut scientiam.

Examini subiicit Pius XII ethicam situationis. Basim principiorum moralitatis non reponit in aliquo elemento subiectivo, dicamus in colloquio cum Deo, sed basis principiorum moralitatis dicit esse « veritates fidei », ergo quae creduntur. Ethica situationis fere reicit ideas, principia et leges universales. Attendit ad id quod est reale, existens et individuale. Ita fidem reponit in personali relatione, qua homo refertur ad Deum. Haec autem iam supra respuimus.

Utrum autem recte ipsa moralis christiana cum religione confundatur vel ad illam reducatur ? Hoc secundum nos minime est verum. Scientia observat obiecta et secundam ea definit scientias, potentias et habitus. Iamvero homo prout e manibus Creatoris exivit, capax est Creatorem ipsum cognoscere et obligationem Deum colendi deducere. Igitur etiam ante christianismum unica basis, unicum fundamentum obligationis moralis existebat. Hoc unicum fundamentum non aliud est hodie quam fuit antea et erit per saecula. Fides christiana suas exigentias morales fundat super veritates essentialies et super earum relationes, sicut faciebat S. Paulus in epistola ad Romanos (1, 19-21). Magis praecise : fundamentales obligationes legis moralis basim habent in essentia, in natura hominis et in relationibus eius essentialibus. Valent ergo ubicumque inveniatur homo. Istae relationes essentialies sunt relationes inter hominem et Deum, inter hominem et hominem, inter sanguine iunctos, inter

<sup>30</sup> J. KUNIČIĆ OP : art. citatus in nota 11 ; cfr. L. GILLON OP : L'imitation du Christ et la morale de S. Thomas. Angelicum 36 (1959) 263-287.

parentes et filios, inter membra familiae, in Ecclesia, in Statu. Ex his relationibus concludimus stricte prohibita esse, quia mala : odium Dei, blasphemia, idololatria, defectio a vera fide, negatio fidei, perjurium, homicidium, falsum testimonium, calumnia, adulterium et fornicatio etc.<sup>31</sup>. In determinando fundamento moralitatis praescindendum est a christianismo. Aliud enim est moralis ut « Erlebnis », aliud ut scientia, nam haec quaerit fundamenta universalia, aeterna, pro omnibus hominibus valida et semper valitura.

Moralis christocentrica offendit dignitatem scientiae. Methodus namque theologiae moralis, utpote scientiae practicae, oportet sit synthetico-deductiva, id est ex principiis simplicibus, universalibus ac necessariis debet ad particularia et contingentia descendere. Methodus theologiae moralis procedit a fine ad media, a causa ad effectum, a principiis ad conclusiones in concreto, quod constat ex ipsa natura syllogismi deductivi, v. gr. dicimus : virtus est laudanda – castitas est virtus – castitas est laudanda. Moralis vero dialogalis, moralis christocentrica procedit a mediis ad finem, a conclusionibus ad principia, ab effectu ad causam quasi esset scientia quaedam positiva, scientia « quae » et non « quia », id est quasi non quaereret rationes suarum assertionum, sed solum inferret phaenomenon. Talis theologia moralis quasi negat principia scientiae, extollit experientiam subiectivam, accentum ponit super inclinationes, super vivere concretum, super operari particulare, uno verbo : valorem primarium tribuit momentis subiectivis.

Mirum est auctores istos velle moralem totalitati vitae christianaे inserere quasi ambas identificando, at non observare se fontem seu radicem ipsam talis insertionis evellere. Moralis christiana nec theologia vocari posset nisi tractaret de Deo ut fine ultimo consequendo, unde in theologia morali omnia pertractantur sub ratione deitatis, secundum ordinem ad Deum, alioquin neque theologia vocari potest. In hoc « ordine » et itinere ad Deum Christus invenitur ut id de *quo* tractatur, et non ut ratio secundum quam omnia considerantur. Idea Christi, in terra degentis per triginta tres annos, non est idea suprema, caput enim Christi Deus (I Cor. 11, 3). Christus appetit ut via, exemplar, dux, primus inter multos fratres, creatura, etc. Hoc modo theologia moralis christocentrica desineret esse theologia et esset scientia positiva, biographia ipsius Christi.

<sup>31</sup> PIUS XII : « C'est sur les vérités de foi que se basent les principes de la moralité » ... Les obligations fondamentales de la loi morale se basent sur l'essence, la nature de l'homme et sur ses rapports essentiels, et valent donc partout où se retrouve l'homme ». In Allocutione cit. die 18. IV. 1952.

Nec talis modus renovandi theologiam moralem apologeticae favorem procurat. Christiani enim hodie vivere debent inter non christianos, immo inter antichristianos. Quomodo cum illis disputabunt? In quo concordes erunt? Non in S. Scriptura, quia extra christianismum S. Scripturae auctoritas non conceditur. Et maior pars humanitatis talis est quae auctoratem S. Scripturae non agnoscit. Remanent igitur solum argumenta rationis desumpta ex naturis seu essentiis rerum, quae omnes homines agnoscere possunt et debent. « Oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis subsequitur caritati »<sup>32</sup>. Nec gratia tollit naturam nec fides rationem inutilem reddit. Restrictio moralis christiana ad illam christocentricam valorem universalem eidem adimit.

Nec pro ipsis christianis conveniens videtur restringere theologiam moralem ad moralem imitationis Christi. Nonne hoc modo christiani habitudinem quasi acquirant vim obligativam moralis unice ex Revelatione repeteret; parvi aestimare praecepta legis moralis naturalis; acquisitionem virtutum viribus propriis negligere? De facili possent putare quidquid praeceptum est bonum esse quia praeceptum, quidquid prohibitum vero malum esse quia prohibitum, ac si non existerent praecepta, quia continent bona in se, respective prohibita, quia continent mala in se.

Naturam ipsam hominis haec « moralis nova » videtur plus ultro humiliare. Quare ab essentiis abhorrent? Natura hominis non est in sua essentia corrupta. Actiones quae non in conformitate cum Christo peraguntur, non propterea omni valore positivo carent (Denz. 1022). – Opera infidelium non sunt ex seipsis peccata nec virtutes philosophorum vitia (Denz. 1025). – Non omnes actus humani ante hominis conversionem odium Dei merentur (Denz. 817). – Nec omnes affectus in homine fructus sunt concupiscentiae deordinatae nec omnes actus in christiano fructus sunt caritatis supernaturalis, nam adsunt affectus medii, qui ex natura ipsa hominis proficiuntur et persistere possunt in peccatore et tamen laudabiles aestimandi sunt (Denz. 1524).

Praesumptuosum videtur theologiam moralem novam, theologiam inquam christocentricam, appellare « theologiam salutis », ac si theologia moralis antiquorum tali nomine insigniri non esset digna. Ipsi quoque moralis vocabant « scientiam salutis ». Tota namque quaestio ad hoc reducitur: Quem locum tribuere Christo in aedificio theologico? Quomodo aestimanda sacramenta in oeconomia salutis? Pro S. Thoma res est

<sup>32</sup> S. THOMAS: I, q 1, a. 8 ad 2.

clara : Christus et sacramenta locum suum obtinent tamquam media in reditu hominis ad Deum. Incarnatio est factum contingens, opus divinae bonitatis gratuitum et non necessarium, nequit ergo hoc factum poni a priori in linea decretorum divinorum nec potest ut idea suprema institui. Multo minus sacramenta. Verum est dicere III Partem Summae esse distinctam, at minime verum est dicere illam debere separari a I et a II Parte Summae. Vita et operatio unire debent ea quae scientia distinguit. Christus et sacramenta, ergo tota III Pars, supponit, complet, illustrat, extendit, informat, evehit II Partem Summae. Non datur moralis S. Thomae quin sit christiana et sacramentalis, at in sapienti ordine synthetico omnia elementa suum locum obtinent iuxta naturam rerum, ideoqua iuxta verae scientiae exigentias.

Sufficiat perlegere varia conamina modernorum, qui novas syntheses proponere volunt, ut non solum persuasi simus, quam deficiente cognoscant ipsam doctrinam S. Thomae, sed etiam quam defectuose ipsa haec nova « systemata » aedificant. Frustra quaeres supra principia, frustra descensum a magis universalii ad minus universale sicut scientiam decet, frustra expectas profundas rationes, frustra exactas definitiones, frustra fixos et determinatos terminos. Verborum tamen copia non deest ; silva eruditionis ac citationum opprimit ; poeticae locutiones abundant. Partes autem totius talis « systematis » videntur quasi acervus lapidum, minime vero organismus quidam spiritualis.

### Conclusio

Bene scripsit aliquis de ethicis extra castra fidei, quod aliquo modo systematibus « novarum theologiarum moralium » intra castra fidei convenire dicendum est : Notae talis moralis sunt intuitionismus seu primatus immediatae cognitionis ; confusionismus, qui manifestatur dicamus arbitraria terminologia, poetica locutione ; evolutionismus, prout mutabile, secundarium et particulare assumunt ut immutabile, primarium et universale<sup>33</sup>. Hos defectus omnis vere nova theologia moralis vitare debet.

Ulterius, opus est ante omnia obiective et sincere principia et doctrinam theologiae moralis traditionalis possidere, quod innovatoribus saepe deest. – Quae autem in elaboratione theologiae moralis traditionalis accidentalia, transitoria, imperfecta sunt, novis exemplis, novis argu-

<sup>33</sup> Cfr. Eph. Theol. Lovanienses 35 (1959) 435.

mentis positivis munire. – Formam insuper externam, dicamus divisiones et titulos articulorum, terminis magis immediatis, non abstractis, propone. – Continuo occurentia problemata vitae solvere luce principiorum semper valitrorum. – Theologiae moralis elaborationem coniungere oportet cum sociologia, cum doctrina spiritualitatis, cum psychologia. – Necessarium aestimamus monstrare contributum christianismi quoad principales quaestiones morales v. gr. quoad libertatem arbitrii, quoad iura hominis, quoad notionem potestatis civilis, quoad relationes subditorum ad superiores etc. Veteribus ergo bene cognitis novum illis contentum dare. Vetera novis augere, non autem novis vetera destruere.

Pius XII agendo de formatione conscientiae, et praecise in illa Allocutione, in qua de ethica situationistica agebat, invitavit moralistas modernos ut prosequantur in doctrina S. Thomae et luce eius ut solvant occurentia problemata<sup>34</sup>. Moralis S. Thomae ut scientia rationem non deprimit, ut autem est christiana, Revelationi ex toto corde adhaeret. Ratio et Revelatio : en fontes qui non deficiunt, qui non mutantur, non contrariantur. Possibilis est et desiderabilis renovatio theologiae moralis, sed potius erit quoad formam, et accidentalis quam substantialis, quia debet esse « eodem sensu eademque sententia ».

<sup>34</sup> PIUS XII in Allocutione cit., die 18. IV. 1952.